

www.e-rara.ch

Ioachimi Mynsingeri Dentati a Frundeck, iureconsulti, Neccharides

Münsinger von Frundeck, Joachim

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3893>

Reverendiss. in Christo patri ac domino, d. Ioanni Fabro, episcopo Viennensi, coadiutori
novae civitatis &c. Ioach. Mynsing. a Frundeck, i. c. s. d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

REVERENDISS^{VS} IN CHRI

STO PATRI AC DOMINO, D. IOAN.

NI *Fabro, Episcopo Viennensi, coadiutori Nouæ*
ciuitatis &c. IOACH. Mynsing. à

Frundeck, I.C. s. d.



VANQVAM mihi dubium nūquam
 fuit, uir amplissime, quin pro singulari
 illa tua in omnes studiosos inductione
 animi ac uolūtate, munus istud meum,
 qualecunq; esset, nō sperneres: putaui tamen mea-
 rum esse partium, nō id quidem uerbis exornare,
 quod etsi facerem, mihi uitio uerti non posset, sed
 in eo consilij mei rationes tibi strictim ac succinctē
 enarrare, ne quis me humanitate tua ambitiose ab
 usum existimaret. Haftenus quidem certē pudore
 à scribendo, & timiditate quadam ingenua refugi,
 parum conueniens fore existimans, occupationes
 tuas & grauissimas & sanctissimas ieiunis & parū
 doctis interpellare literis. Verū cum omnibuste
 uirtutum numeris absolutissimū esse, atq; incredi-
 bili quodam doctrinæ splendore cæteris tui ordi-
 nis hominib. longē antecellere, nemo ignoret, sitq;
 in te præcellens summa cum morum, animiq; seue-
 ritate comitas, equabilitasq; coniuncta, facere non
 potui, quin aliquod ad te, tanquam uirum doctissi-
 mum, studiosorumq; fautorem singularem, inge-
 nij mei specimē demissē, ac cum debita ueneratio-
 ne deferrem. Compertum proculdubio habes, uir-
 tute nihil esse formosius, nihil pulchrius, nihil ama-

bilius, nihil quod homines magis alliciat ad diligendum: quippe quum propter uirtutem & probitatem sic animi nostri incenduntur, ut ad eorum etiam, quos ipsi nunquam uidimus, amorem accedamus. Atque ea quidem uirtus quum in te reperiatur cumulatissimè, quid mirum si & ego animū meum ad beneuolentiam tui absentis ita applicui, ut & literis tibi obstrepere audeam? Quod si rectè quidem ac uerè dicere solitus erat Socrates, neminem se uidere, nisi quē audiret loquentē, quod hominis formam uultus, mentem oratio indicat: profectò & mihi mens tua cognita est, hoc est, ipse tu, qui loqueris, & spiras in his libris, quos antiquæ & ueræ religionis Christianæ refertissimos nuper cū summa nominis tui fama, atque incredibili omnium cōmodo inuulgasti. Hi certè effecerunt, ut te quāuis de facie non noscerem, alloqui tamen literis, & aliquam tibi, qualemcūq; quidem, officiosam certè ingenij mei fecturā exhibere ausus fuerim: tuāq; amplitudinem multis stipatā uirtutibus, hoc quasi inani chartaceo munere functus, colere, & uenerari: cuperemq; amicitiae mihi tuæ aditum patefieri, atque tibi meam in te, tuumq; nomen obseruantiam singularem deferre. Neq; hic subuerendum mihi erit, te iniquius hanc meam laturum esse scriptiōem, quum te pro solita doctorū hominū consuetudine, atque innata quadam bonitate, quales quales studiosorum lucubratūculas atq; opellas, æquo animo, hilariq; uultu suscipere certò sciam.

Dicerem

Dicerem hic multa de absolutissima ingenij, atq; eruditionis tuæ præstantia, nisi ea ratione ob os te uelle dilaudare, atque auribus id me tuis dare, plerique existimaturi essent. Hoc tamen silentij uelamento inuoluere haud possum, indytissimum regem nostrum FERDINANDVM, te illum in locū atq; in hanc cellissimam sedem dignitatis atq; honoris, sola uirtutū tuarum admiratione ductum, collocauisse, atq; ipsum tuis etiam consilijs inniti, & ab illis plerunq; pendere. Atq; utinam Germaniæ nostræ Principes ac ciuitates in eam cogitationem incumberent, ut quos bonis moribus, quos uirtutibus plurimis, quos doctrina præditos & ornatos uiderent, opes ad illos, honores, dignitatesq; conferrent, illis munera, legationesq; traderent, illorum prudentiæ maximarū rerum summam demandarent; deniq; repositam in illis esse uellent omnem sui nominis amplitudinem, omnem religionis, ceremoniarumq; nostrarū maiestatem. Nulla medijsfidius non solum naufragia in Germania, atque adeò in uniuersa Christiana Republica, sed ne tempestates quidem certè, aut planè fluctus ullos pertimeremus; prospero ac tranquillo semper cursu, atq; omnino tutò nauigaremus. Nunc quoniam imperitis sæpe hominibus regnorum, ditiorum, ciuitatumq; gubernacula cōmittuntur, quid mirum si huc illuc iactati portum capere non possumus? Verum hæc ipsi uiderint, quorum res maxime agit. Longè aliter Rex noster inuictissimus,

qui illos in consilium adhibere solet, illis rerum habenas committere, eos denique multis etiam beneficijs ornare, atque illustrare, quos uirtutibus atq; doctrina p̄ditos, ex quibus nobilitatem metitur, ceteris antecellere uidet: principem & ingenij & doctrinae Platonem secutus, qui tum denique fore beatas Resp. existimauit, si aut docti, aut sapientes homines eas administrarent, aut hi qui regerent, omne suum studium in eruditione & sapientia collocauissent. Nam absq; sapientia neq; iustitiam ministrari, neq; ea fieri posse credidit, quae ciuib; ad salutem expedirent. Sed de his satis, aut etiā nimis multa. Te uero, uir amplissime, ut hanc meam ad bellum cōtra Turcas suscipiendum exhortationē, cum hymnis quibusdam in aliquot festa à me olim scriptis, iuuenilis quidem ingenij rudem fectū, magnum tamen obseruantiae in te meae argumentū, pro genuina bonitate tua suscipias, etiam atque etiam rogo, & obtestor: donantisq; animū potius, quàm rei magnitudinē inspicias: & parētes meos, ipsumq; me, atq; etiam totam domum nostram, ut soles, amare, ornare, & iuuare pergas. Vale, ex

Friburgo Brisgoiae, Nonis Ianuarij, anno salutis humanae,

M. D. XL.